


meridianus circulus eorum qui per uerticem sunt hori zontis u-  
nus existat. De angulo quoq; orientis iam sermo præcessit, cuius  
qui reliquus est à recto, ipse est quem per uerticem horizon-  
tis quadrans circuli cum signifero oriēte suscipit. Superest ergo  
de medijs uidere sectiōibus, repetita superiori figura, circuli in-  
quam meridiani cum semicirculis signiferi & hori zontis, & assu-  
matur quodlibet signum signiferi, inter meridiem & ortum uel  
occasum, sitq;  $G$  per quod à polo hori zontis  
& descendat quadrans circuli  $FGH$ . Quoniā  
ea hora, tota  $AGE$  datur circumferētia signi-  
feri inter meridianum & hori zontem, &  $AG$   
per hypothesim: Similiter &  $AF$  propter al-  
titudinem meridianā  $AB$  datam, cum angu-  
lo ipso meridiano  $FAG$ , datur etiam  $FG$  per  
demonstrata sphaericorum, & reliqua  $GH$ , al-  
tudo ipsius  $G$  cum angulo  $FGA$ , quæ quæ-  
rebamus. Hæc de angulis & sectionibus circa signiferū in trans-  
cursu à Ptolemæo decerpimus: ad generalem nos referentes  
triangulorum sphaericorum traditionem, in qua si quis sese ex-  
ercere uoluerit, plures quàm quas modo exemplificando tracta-  
uimus utilitates per seipsum poterit inuenire.



De ortu & occasu siderum. Cap. XIII.



**A**D cotidianam quoq; reuolutionem pertinere ui-  
dentur ortus & occasus siderum, non solum illi sim-  
plices, de quibus modo diximus, sed quibus modis  
matutina uespertinaq; fiunt, quod quāuis annuæ re-  
uolutionis cōcursu ea cōtingunt, aptius tamē hoc loco dicetur.  
Prisci Mathematici separant ueros ab apparentibus. Verorum  
quidem matutinus, est ortus sideris quando cum Sole simul e-  
mergit. Occasus autem matutinus, quando oriente Sole sidus  
occidit, quod medio toto tempore matutinum dicebatur. At ue-  
spertinus ortus, quando Sole occumbente sidus emergit. Oc-  
casus autē uespertinus, cum Sole occidente sidus pariter occidit,  
quod medio quoq; tempore uespertinum dicitur, utpote quod

l iij inter